



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Petri Laurenii Societatis Jesu, SS. Theologiæ
Doctoris, & SS. Canonum Professoris Vicarius Episcopalis,
Sive Tractatus Quaternarius Per Quæstiones & Responsa
Canonica Deductus**

Leuren, Peter

Coloniae Agrippinae, 1708

574. Quid possit Vicarius quò ad condenda statuta nova & vetera
abroganda, puniendúmque transgressores.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74203](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74203)

tum generali commissione, non facta determinatione ad certum locum seu partem diocesis, & dicitur Vicarius Generalis seu principalis. Sbroz. l. 1. q. 3. nu. 26. & q. 23. & seq. & q. 29. Garc. de c. 8. nu. 27. gl. in Clem. & si principalis. de rescript. v. foraneo. & ibidem Card. nu. 3. Imol. nu. 17. Abb. nu. 5. Rebuff. in pr. tit. de Vicar. Episc. num. 6. Sauch. ubi ante. nu. 11. & c. Vicarius quoque Capituli faciet unum cum eo tribunal, cum totam iurisdictionem Episcopi & Capituli ex generali hujus commissione exerceat. Quamvis hic aliquid quaestio- nis de nomine intercurrere videatur; dum nimirum Capitulo non nisi per Vicarium permittitur exercere iurisdictionem, adeoque tribunal ad exercendam per seipsum iurisdictionem non habeat, sicut habet Episcopus cumularivè cum suo Vicario ex eodem tribunali administrans iustitiam & iurisdictionem. Nil tamen vetat, quod minus Vicarius dicatur occupare tribunal iurisdictionis Capitularis, & eam ex illo administrare.

Quaestio 570. Num igitur etiam à Vicario Capitulari appellari nequeat ad Capitulum?

R Esp. Sequi videretur, quod sicut à Vicario Episcopi ad Episcopum appellari nequit, quia habet idem tribunal, ita etiam nequeat appellari à Vicario Capituli. Ita etiam tenere videtur Sbroz. l. 3. q. 14. an. 2. dum enim ibi tradit, quod sicut, si causa esset commissa per Episcopum Vicario, non tanquam Vicario, sed tanquam Delegato, Vicarius non haberet idem tribunal cum Episcopo; cum tunc à Delegato appellatur ad Episcopum; ita etiam sit in Vicario Capitulari sede vacante, qui in causa sibi delegata non facit unum Consistorium cum Capitulo, ut Pavin. p. 2. q. 10. m. 14. adeoque, quod hinc inferitur, ab eo appellari nequeat ad Capitulum.

Quaestio 571. Quid igitur agendum, seu quod recurrendum, dum Vicarius Capituli recusat ut suspectus?

R Esp. De hoc satis dictum supra, ubi an, & qualiter Capitulum possit cognoscere causas suspicionum motas contra suum Vicarium.

Quaestio 572. Num Vicarius electus iurisdictionem exercere possit ante literas patentes electionis illius confectas, eique traditas?

R Esp. Affirmativè. Carol. de Luca ad Ventrigl. tom. 2. annot. 15. §. 2. n. 10. ubi: Vicarius electus, si ante literas expeditas patentes exerceat iurisdictionem, non cadet à iure suo, mandatum oretenus dari potest. Item Cardin. de Luca de Canon. & dignit. d. 26. nu. 2. juncto nu. 10. ubi: procedit id (nempe quod ante expeditas literas suae deputationis non possit quis administrare) quando agitur de actu, qui exigit ad sui perfectionem Superioris auctoritatem, ut est v. g. in electione, quae eget confirmatione; secus autem est in hac materia, in qua non agitur nec de vera electione, nec de nominatione exigente posse etiam actum ad sui perfectionem; sed agitur de simplici deputatione sonante in mandatum, quod Episcopus vel Praelatus, vel ejus loco Capitulum dare dicitur; quod mandatum ad sui essentiam non exigit scripturam, sed etiam oretenus dari potest. Sbroz. l. 1. q. 64. Et generaliter quod dicti termini non intrent in illis actibus, qui saltem actum ad illorum perfe-

ctionem non exigunt; ubi scilicet ipsa electio est collectio simul. Garc. p. 1. c. 6. n. 23. litera siquidem patentes expediuntur ad probationem, non autem ad substantiam, vel perfectionem actus; cum nullo jure cautum sit, eas recipi de substantia. Ita ferè Card. de Luca.

Quaestio 573. An excommunicato, aut per aliam censuram suspensio Capituli suspensa quoque sit iurisdictione Vicarii Capituli?

R Esp. Affirmativè Pith. ad tit. de off. Vicar. n. 78, ubi: suspensio vel interdictio Capitulo ipse Vicarius suspensus & interdictus esset; quia Vicarius utitur iurisdictione Capituli. Castrop. tract. 13. d. 2. p. 29. nu. 5. Garc. p. 5. c. 7. n. 32. ex Summ. tom. 5. d. 7. f. 3. m. 13. ubi is: si Capitulum habeat impeditum ulum iurisdictionis, consequenter etiam Vicarius habet idem impedimentum, sicut in Vicario Episcopi, & c. & ego in For. benef. p. 2. q. 715. m. 1. contra Ugolino. tab. 1. de cens. c. 10. §. 2. nu. 4. expresse dicentem, jure Capituli suspensio ob censuram aliquam, Vicarii hujus iurisdictionem non suspendi, nec impediri, uti contingit in Vicario Capituli. Pro quo citat c. 1. de off. Vicar. in 6. Idem cum Ugolino sentire videtur Sbroz. l. 3. q. 17. nu. 11. & 11. ubi: locum non habet in Delegato excommunicato, cujus iurisdictione non suspenditur excommunicato delegante; quia Vicarius in causa sibi delegata non facit idem consistorium cum Episcopo, intellige, delegante; & mox subjungit: extenditur haec declaratio, ut locum habeat etiam in Vicario Capituli sede vacante, ut Pavinus p. 2. q. 10. nu. 14. post Card. in Clem. & si principalis. de rescript. nu. 9. Verum, ut vides, loquitur Sbroz. in casu, ubi à Capitulo specialiter causa aliqua delegata Vicario suo, non ut Vicario, sed ut Delegato, de quo casu non procedit quaestio; sed respectu eorum, quae illi generaliter ut Vicario commissa sunt à Capitulo. Porro procedit responsio, etiam si Vicarius deputatus à Metropolitanis; quia & is iurisdictionem Capituli exerceat, sive habet iurisdictionem dependentem à iurisdictione & potestate Capituli, et si independentem à voluntate illius eam habeat. Garc. loc. cit. n. 33. ex eodem Suarez.

Quaestio 574. Vicarius Capitularis quid possit quoad condenda statuta nova, & abroganda vetera, & quoad transgressores puniendum?

R Esp. Facere potest constitutiones obligantes totam diocesim, eaque duratura perpetuo, quamdiu à secuturo Episcopo non fuerint revocata; jus enim statuendi pendet à iurisdictione juxta c. 2. de consuetud. in 6. Ventrigl. tom. 2. §. 2. n. 39. citans Quarant. in Summ. Bullar. 7. Capit. sede vac. vers. quarid. quaro. Vulpe. in pr. e. 44. nu. 16. Meroll. ubi supra, n. 39. Potest etiam statuta antiqua, & facta à praedecessoribus praelatis revocare (intellige, nisi auctoritate Apostolica sint firmata; illa enim neque Episcopus abrogare potest) Ventrigl. loc. cit. n. 40. citans Gemin. Zabarel. Felin. Pavin. Quarant. ubi ante in fine. Qualiter haec ipsa limitentur, & extendantur, vide supra, ubi, quid Capitulum possit hoc in puncto. Eadem enim omnia, quae potest Capitulum quoad haec, potest etiam ex eius commissione Vicarius; & quidquid illud non potest, id neque poterit Vicarius; ut pote cujus potestas non potest esse major potestate Capituli, à

quod constitutus eam accepit. Pirh. *loc. cit.* n. 78. Veneruntamen in condendis statutis istiusmodi generalibus egebit speciali saltem consensu Capituli, si non demandatione, & commissione; cum etiam Episcopus hac in parte in pluribus egeat consensu Capituli. Et hoc voluit Ventrigl. dum ait: potest Vicarius Capitularis habens facultatem à Capitulo statutum condere. Potest quoque ad observanda statuta sua & Capituli cogere intentatis pœnis, & transgressores illorum punire. vide quoque quæ in hac parte dicta sunt supra de Capitulo. Ad pœnas tamen has infligendas non videtur egere speciali consensu, aut commissione Capituli; cum cui conceditur potestas statuendi, pœnæque intentandi, eidem hoc ipso concessa sit potestas eas actu infligendi, ne aliàs detur iurisdictio sine coercitione contra textum *c. ex literis. de off. delegati.*

Quæstio 575. An Vicarius possit quoque de aliis delictis cognoscere, eaque punire.

Resp. affirmativè: potestatem enim hanc habet Capitulum juxta limitationes datas supra, centeritque exercitium illius cum iisdem limitationibus ex commissione generali concessum Vicario.

Quæstio 576. Quid possit Vicarius quoad infligendas censuras?

1. **R**esp. primò in genere: Potest Vicarius nedum minari censuras, sed & illas exequi. Pignat. *tom. 10. consult. 121. n. 4.* Sbroz. *l. 2. q. 182. n. 7.* Censura enim est nervus ecclesiasticae disciplinae. Sbroz. *loc. cit.* n. 2. ex Abb. *in c. cum inter. de consuetud. sess. 25. c. 3.* & per illam Judices ecclesiastici (qualis utique est Vicarius Capituli, utpote ordinariam habens iurisditionem juxta dicta supra) exercent iurisditionem. Sbroz. *ibidem* citans *c. licet. de jurejur. in 6.* & *ibi* Archid. *c. ex literis. de off. deleg.* & *ibi* Canonistæ passim. Poterit itaque in hoc genere Vicarius, quod quoad hoc potest Episcopus; siquidem quod is potest, potest Capitulum, nisi specialiter ei hæc facultas in quibusdam casibus denegetur. Ventrigl. *cit. loc. n. 46.* Barbof. *jur. eccles. l. 1. c. 32. n. 65.* citans Navar. *in man. c. 27. nu. 5.* Molin. *de iust. tr. 5. d. 11. n. 6.* & c. potestatis verò, quæ habet Capitulum, exercitium habet Vicarius; neque ad hoc videtur Vicarius egere speciali mandato Capituli ob rationem in fine *quæst. ante* hanc penult. insinuatam, quamvis Rebuff. *in pr. benef. tit. form. Vicar. n. 174.* apud Sbroz. *loc. cit. n. 4.* dicat, solere ad majorem cautelam in Vicariatu exprimi commissio suspendendi, & interdicendi. ipse quoque Sbroz. *ibidem* dicat, se putare fore exprimeendam dictam commissionem in casibus, in quibus ageretur de perpetua suspensione, vel multum diuturna, quam Vicarius Episcopi (idem juxta illum est de Vicario Capituli) ad illum enim omnia præcedentia extendit *nu. ult. cit. q. 182.* ferre non posset sine speciali mandato; cum suspensio perpetua, & diuturna dicitur de arduis secundum Innoc. ex Abb. *in c. ad hac. n. 1. de off. Archiep.* ita ut dicant Episcopum illam ferre non posse sine Capitulo.

2. **R**esp. secundò in specie. Poterit itaque Vicarius Capituli non minus, quam alius Judex ecclesiasticus (de quo id apud Sbroz. *nu. 3.* tenent Abb. *in c. cum ecclesiar. de off. ordinar. n. 4.* Innoc. *ibid. in fine.* juxta Trident. *loc. cit.*) & in specie quam Vicarius Episcopi (de quo id tenent apud eundem

cum communi Rebuff. *loc. cit.* Covar. *in c. almu. §. 2. n. 7.* Navar. *loc. cit. n. 59.* & 168.) Suspendere & interdicerè Sbroz. de hoc Vicario in specie loquens *cit. n. 7.* citans Rebuff. *in pr. tit. de devol. n. 63.* Pirh. *ad tit. de off. Vicar. n. 78.* citans Suar. *de cens. d. 7. f. 3. n. 10.* & *d. 2. f. 2. na. 9.* Poterit quoque excommunicare. Paris. *loc. cit.* Pax. Jord. *l. 2. tit. 2. nu. 41.* Sbroz. *l. 2. q. 168. nu. 6.* citans Rebuff. *in pr. ubi antè.* Idque etiam si non esset sacerdos, ut de Vicario Episcopi *ibid. n. 5.* Sbroz. citans Calderin. *in c. excommunicat. n. 16. de rescript.* Excommunicatio siquidem non minus censura est, quam suspensio, & quidè principalior: ergo si, ut dictum, Judices ecclesiastici per censuras exercent iurisditionem, quò & ut dictum ex Tridentino, excommunicatio est nervus disciplinae ecclesiasticae, hanc infligere, ubi opus, utique spectabit quoque ad Vicarium Capituli ob rationem communem his omnibus supra datam, nec aliàs dicitur iurisdictio ordinaria sine coercitione, quod falsum est; cum talis iurisdictio sit nulla. Sbroz. *l. 2. q. 68. n. 4.* citans *l. 1. & ibi* DD. *ff. de jurisd. omn. l. 1. & c. cum contingat. de for. compet. & ibi* Abb. Imol. Felin. quò & actus excommunicationis sit actus iurisditionis. Sbroz. *loc. cit. n. 2.* citans *c. cum ecclesiar. de off. ordinarij.* & *ibi* Abb. & alii. Imò quilibet Judex ecclesiasticus potest excommunicare, etiam si sit delegatus inferioris Episcopi juxta Sbroz. *loc. cit. n. 3.* citantem pro hoc plures. Et quod possit sine speciali mandato excommunicare Vicarius Episcopi, habet Sbroz. *l. 2. q. 170. n. 1.* adeòq; pariter si non potius Vicarius Capitularis.

3. **R**esp. tertidò, poterit quoque Vicarius hic vigore commissionis suæ (intellige generalis) excommunicare, suspendere, & interdicerè singulares personas, seu Canonicos de Capitulo. Pax. Jord. *loc. cit.* Pignat. *loc. cit. nu. 4.* Poterit quoque contra eosdem Capitulares procedere sine adiunctis, quando id poterat Episcopus. Pax. Jord. *loc. cit.* Garc. *p. 5. c. 7. n. 23.* ex declaratione S. Congreg. Non tamen poterit Vicarius totum Capitulum suspendere, vel interdicerè; quia redundaret etiam in ipsum Vicarium. Pax. Jord. *ibid.* vis enim officij & iurisditionis Vicarii dependet ab ipso Capitulo, & suspensio Capituli suspensus est quoque ejus Vicarius, etiam si fuisset deputatus à Metropolitano, aut ab Episcopo viciniore ob negligentiam Capituli. Pirh. *loc. cit. n. 78.* Pax. Jord. *loc. cit.* Suarez *de censur. d. 7. f. 3. n. 13.* & ex eo Garc. *loc. cit. n. 32.* Quarant. & Barbofa apud Pax. Jord.

Quæstio 577. Num Vicarius possit quoque Clericos privare beneficiis, & procedere ad actualem degradationem.

Resp. Videtur posse Vicarius exigentè atrocitate delicti Clericum privare beneficio. Videtur quoque posse devenire ad verbalem degradationem: utrumque enim potest Capitulum, ut supra dictum. quamvis quoad utrumque, & ad minimum quoad secundum egere videatur speciali commissione, aut consensu Capituli. Et sic posse beneficiatum per Vicarium Episcopi removeri, simpliciter tenet Franc. *in cap. licet. de jurejur.* apud Sbroz. *l. 3. q. 162. n. 7.* Et ex mandato Episcopi speciali posse eundem Vicarium deponere, seu verbaliter degradare, tenet Sbroz. *loc. cit. n. 8.* ex Bald. *in l. aliquando. n. 8. ff. de off. procons.* Et sic de consuetudine servari dicit Franc. *loc. cit.* Ad realem verò & actualem degradationem devenire non poterit, quis ne quidem Capitulo, sed solis Episcopis id competit juxta dicta supra.

Quæstio